28 Am n°1

Perillustris domine

Utor permissis, utor libertate quam mihi semper indulsisti, ac favorem tuum quem abituriente promisisti humanissime, quoque abeuntem prolixissime es prosecutus, venio ambitum. nec longius sum, qui te scio per ambages aut circuitione verborum adiri nolle, verbo dicam quid sit cujus gratia descendam in campum petitor. Professionem Historicam aut Poeticam, aut litterariam in nascente Academia Gelrorum tua ope obtineri unice desidero, et nobilissimo Wynbergio qui curator est commendari. plane ita mihi sufferus sum factus, ut me praestare posse putem ut vel Tacitus aliquis meo ore me interprete non indecore loquatur, vel Maro arma virumque canat, vel Juvenalis aliquis non semper sit auditor tantum, sed aures impleat auditorum vexatus toties rauci Theseide Codri.

Num nostri memor, o pater patrone
Num nostri memor usque et usque vivas
Quantum certior esse concupisco
Tantum quaerere displicet pudetque
Tactum flosculus horret, uva flatum
Charitas violatur ambigendo.

Quare non quod de tuo constanti in me affectu dubitem sed quod ita mos est rogandi, vehementer te rogo, ut mei habeas rationem, et cures ut de hac commendatione quam maximas, quam primum, quam saepissime gratias tibi agat

Perillustris domine

Incomparabili nomini tuo
in perpetuum devinctus

Adrianus Bruino

mitto Epigramma sororis meae in Euphrasiam tuam.
a patre officiosissimam salutem addo.

raptim Alcmariae
prid. Non. Sextil:
∞.IↃCXLVII.

© Universiteitsbibliotheek Amsterdam
28Am1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4636